



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xiiij. Ad stertentem & recinentem ex pectore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

septem pilulas cocci gnidij, & granum piperis, simul contundes, & in offas conformabis, ac accipitri dabis.

Ad stertentem & recinentem ex pectore.

SI accipiter ex pectore sic infestetur, ut voces elisas mittat, ita cognosces. Videbis caput aggrauatum, oculos cōnientes. hoc remedium adhibebis; quod continet ceruinam medullam magnitudine auelanæ, sandarachæ siliquam, baccas lauribinas, olei Hispanici ligulas duas, mellis boni ligulam, oui vitellum, vini veteris ligulam: simul immiscebis in poculum, ex quo bibere solet, tum per quinque dies in carnes, quas edit accipiter, inferes.

Aliud.

Semen raphani, piper cum absinthio, trita in eius cibum indito. Vel garum & mel mista, & in subrumi catuli carnes insita ipsi dabis. Quod si cibum attingere nolit, etiam inuito ei dabis, donec recipiat sanitatem. Cum carnes accipiter cum labore euomit, scito illū ex pectore laborare. hoc remedio curabis, quod recipit vitellū oui, olei Hispanici quantum satis sit, vini veteris tantundem. hæc omnia tertio, ex carne præbeto accipitri comedēda, offasq.

hoc

hoc medicamento conspersas ipsum capere nolentem cogito ; insuper ferri ramentum in carnes inferito.

Aliud remedium.

Medullam cum carne pulli gallinacei dabis edendam , aut axungiam suillam inferuefactam ; ipsum vel in mensa , vel in grabato collocabis , vbi sit silentium & quies.

Aliud.

Euphorbij, costi, spicæ Indicæ, sideritis, croci, ricini, mastichæ, pyrethri, laseris, myrrhæ, argalici, thuris masculi, piperis, vux taminix granorum septem, sandarachæ, butyri, oui liquoris albi, gari & mellis, vini boni, olei rosacei, ferri ramenti paria pondera ; misceantur, terantur diligenter : fiant offæ ex carne suilla, in quam mediam abdes medicamentum, atque ita tectum dabis accipitri deuorandum.

Aliud remedium.

Cum accipiter pectore infestatur, comprehendito hircum, eius auriculam scindito, sanguinemque defluentem excipito, eumque inferuefactum in accipitris fauces infundito. Vel erucam, terræ puluerem, mel, simul contrita, cum cibo mista accipitri obijcito. Vel radicem sinapis & rapæ

R

æquali pondere mista & trita ex cibo, aut cum lacte, aut cum oleo Hispanico mista dabis. Vel nasturtium mistum cum melle & vino & carne suilla accipitri dabis comedenda.

Ad spongiam.

SI accipiter spongiam habeat, ita cognoscet. cum videbis præter cōsuetudinem illum bibere, & crebra febre affligi, multum fessitare, nō discedere ex manu, neque ex pertica, ita ipsum ad sanitatē perduces. Ferri ramentum, quantum gladij cuspis capit, tantum in ossam conijcies, deinde fetas suillas quinq. digitis concisas defiges in carnem, subiges cum ramento ferri, & ita septem ossas dabis ex carne qualibet, idque facies per triduum. Cum videbis accipitris stercus croceo colore, scito spongiam eius scissam esse, quam ita curabis. Dabis ipsi ricini puluerem, tum ossa palmarum combures, in puluerem rediges, mel quantū satis sit: hæc omnia miscebis, & dabis accipitri ex carne pulli columbini aut gallinacei quotidie ossas quinque, in quarum singulas prædictum puluerem immiscebis, quantum tui gladij capit cuspis. id facies per quinque dies, & sanabitur.